

non divinitatis, quae fecit, ut credentium jam nemo moriatur)
 quid vobis imprudentius, qui contumeliose colitis, et honorificē
 derogatis? Vestrum enim Deum lignum putatis. O
 contumeliosa reverentia! Christum mori potuisse non creditis!
 O honorifica pervicacia! Sed vetera, inquit, reddenda sunt
 altaria simulacris, ornamenta delubris. Reposcantur haec a
 consorte superstitionis, christianus imperator aram solius
 Christi didicit honorare. Quid manus pias et ora fidelia
 ministerium suis cogunt sacrilegiis exhibere? Vox imperatoris
 nostri Christum resultet, et illum solum, quem sentit, loquatur;
 Quia cor regis in manu Dei. Numquid imperator gentilis
 aram Christo levavit? Dum ea, quae fuerunt, reposcunt,
 exemplo suo admonent quantum christiani imperatores reli-
 gioni, quam sequuntur, debeant deferre reverentiae; quando
 gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. Dudum
 coepimus, et jam sequuntur exclusos. Nos sanguine gloriamur,
 illos dispendium movet. Nos haec victoriae loco ducimus,
 illi injuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt,
 quam cum verberari christianos atque proscribi ac necari
 juberent. Praemium fecit religio, quod perfidia putabat esse
 supplicium. Videte magnanimos. Per injurias, per inopiam,
 per supplicium nos crevimus; illi caeremonias suas sine
 quaestu manere posse non credunt. Habeant, inquit,
 Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc, qui
 nesciunt credere, quod possit esse gratuita virginitas:
 provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis
 virgines praemia promissa fecerunt? Vix septem Vestales
 capiuntur puellae. En totus numerus, quem infulæ vittati
 capit, purpuratarum vestium murices, pompa lecticae mi-
 nistrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, luca
 ingentia, praescripta denique pudicitiae tempora coegerunt.
 Attollant mentis et corporis oculos, videant plebem pudoris,
 populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti
 decus, sed ignobile velamen usui, nobile castitati; non